Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 29
Quelle:
Copyright:

logis et *Eusebii ad Carpianum Epistola*, prout legitur in *Opp. Hieron.* edit. *Vallars.* T. X. *col.* 668. Sequuntur *Actus Apost. Epistolae Canonicae* ante *Paulinas*, et *Apocalypsis. I. Job.* 5. Testimonium terrestre coelesti praeponitur. *Psalterium* ad finem Codicis dilatum est *fol.* 448. quem claudit *fol.* 471. nota illa Vocabulorum hebr. et graec. Interpretatio.

XVIII.

R. 42 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 953. 4. per 2. etiam 3. Columnas in pellibus tenuissimis charactere aterrimo, minutissimo, nitidissimo, principiisque picturatis ita exaratus, ut insigne cum peritiae, tum assiduitatis humanae specimen haberi possit, continet universa *Biblia* cum *Postillis* non *Nic. Lirani*, sed, cujus nomen toto Codice non comparet, *Hugonis a S. Caro* (a natali Suburbio *Viennae Allobrogum Saint Chers*) ex O. P. ad Purpuram Rom. evocati, et a. 1262. vivis exemti, cui praeter vastum hoc Opus, quod in edit. *Lugd.* 1645. quae mihi adjacet, VII. Tomos f. conficit, Rudimenta saltem *Concordantiarum Biblicarum* debemus. Adi de eo T. I. *Scriptt. O. P. p.* 194. Initium porro Codici facit Autoris Praefatio, quae incipit: *Principium verborum tuorum ueritas* &c. Sequitur nota *Hieronymi ad Paulinum Epistola* cum suis Postillis, quarum initium: *Frater Ambrosius &c. Fidem i. certitudinem* &c. tum *Prologus Hieronymi in Pentateuchum ad Desiderium*, cujus Postillae: *Desiderii. Post primum prooemium ponit ieronimus* &c. Demum Postillae *Geneseos* sic ineunt: *In principio &c. Agit Moyses in primo libro de primordiali* &c. Atque ita libri ordine consueto procedunt usque ad *fol.* 222. ubi interseritur *Liber* III. et dicitur II. *Esdrae*, quia praecedens *Nehemiae* inscribitur. Hic porro Liber caret Postillis, etiam *Hugoni* habitus apocryphus. Testamentum novum, quod orditur *fol.* 669. *Actus Apost.* inter *Epistolas Paulinas* et *Canonicas* ponit. Praefatio *Hugonis* in illud incipit: *Quatuor circulos aureos pones super quatuor arche angulos* &c. Igitur diversa est ab ea, quam exhibet Editio *suprac.* Et in universum magna est Praefationum in *Cod.* et *Edit.* differentia, quemadmodum me collatio initiorum in *Scriptt. O. P. T. cit. p.* 198. docuit. Ipsae etiam Glossae in illo jam concisiores, jam fusiores sunt, quam in hac, ut adeo plures successu temporis Operi huic ampliando vel contrahendo, ut fit, manum adhibuisse videantur. Atque advertit me Nota Librarii nostri ad *fol.* 712. p. 2. sive Initium Evangelii Marci: *In postillis magistri Stephani de langetona* (Linguatona, Langthon, Longoduni) *qui cum ipse hunc librum legeret parisius, fuit quidam in scolis uir maximi nominis nomine iohannes belet qui asserebat se uidisse cathedram marci super quam scripsit hoc euangelium.*